

Ad tertium dicendum, quod infideles non baptizati non sunt adstricti status Ecclesie, sed sunt adstricti statusi iuris divini: & ideo si contraxerint aliqui infideles in gradibus secundum legem divinam prohibitis, Levit. xviii. sive uterque, sive alter ad fidem convertatur, non possunt in tali matrimonio commanere; si autem contraxerint in gradibus prohibitis per statutum Ecclesie, possunt commanere, si uterque convertatur, vel si uno converso spes sit de conversione alterius.

Ad quartum dicendum, quod habere plures uxores est contra legem naturae, ut supra dist. xxxiii. q. 1. art. 1. dictum est, cui etiam infideles sunt adstricti: & ideo non est verum matrimonium infidelis, nisi cum illa cum qua primo contraxit. Unde si ipse cum omnibus suis uxoribus convertatur, potest cum prima cohabitare, & alias debet abjicere. Si autem prima cohabitare noluerit, & aliqua aliarum convertatur, idem jus habet contrahendi cum illa de novo, quod cum alia haberet; de quo post dicetur.

Ad quintum dicendum, quod repudium uxoris, ut supra dist. xxxiii. dictum est, est contra legem naturae: unde non licet infideli uxorem repudiare. Et ideo si convertatur, postquam una repudiata alteram duxit, idem iudicium est de hoc, & de illo qui plures uxores habebat: quia tenetur primam quam repudiaverat, accipere, si converti voluerit, & aliam abjicere.

ARTICULUS IV.

Utrum fidelis conversus possit uxorem infidelem dimittere, volentem cohabitare sine contumelia Creatoris.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod fidelis conversus non possit uxorem infidelem dimittere, volentem cohabitare sine contumelia Creatoris. Majus enim est vinculum viri ad mulierem quam servi ad dominum. Sed servus conversus non absolvitur a vinculo servitutis, ut patet I. Corinth. vii. & I. Timoth. vi. Ergo & vir fidelis non potest uxorem infidelem dimittere.

2. Præterea. Nullus potest alteri præjudicium facere sine ejus consensu. Sed uxor infidelis habet jus in corpore viri infidelis. Si ergo per hoc quod vir ad fidem convertitur, mulier præjudicium pati possit, ut libere dimitteretur, non posset vir converti ad fidem sine consensu uxoris, sicut nec potest ordinari, aut vivere continentiam sine consensu uxoris.

3. Præterea. Si aliquis contrahat cum ancilla scilicet sive sit servus, sive liber, non potest propter diversam conditionem ipsam dimittere. Cum ergo vir quando contrahit cum infideli, sciverit eam esse infidelem, videtur à simili quod non possit eam propter infidelitatem dimittere.

4. Præterea. Pater tenetur ex debito procurare salutem prolis. Sed si discederet ab uxore infideli, filii communes matri remanerent, quia partus sequitur ventrem; & sic essent in periculo salutis. Ergo non potest uxorem infidelem licite dimittere.

5. Præterea. Adulter non potest adulteram dimittere, etiam postquam de adulterio penitentiam egit. Ergo si sit idem iudicium de adultero, & infideli, nec infidelis infidelem etiam postquam ad fidem conversus est.

Sed contra est quod Apostolus dicit I. Corinth. vii.

Præterea. Adulterium spirituale est gravius quam carnale. Sed propter carnale adulterium vir potest uxorem relinquere quantum ad cohabitationem. Er-

go multo fortius propter infidelitatem, quæ est adulterium spirituale.

SOLUTIO

Respondeo dicendum, quod homini secundum aliam & aliam vitam diversa competunt, & expediunt: & ideo qui moritur priori vitæ, non tenetur ad illa quæ in priori vita tenebatur: & inde est quod ille qui in vita seculari existens, aliqua vovit, non tenetur illa, quando mundo moritur vitam religiosam assumens, perficere. Ille autem qui ad baptismum accedit, regeneratur in Christo, & priori vitæ moritur, cum generatio unius sit corruptio alterius: & ideo liberatur ab obligatione qua uxori tenebatur reddere debitum, & ei cohabitare non tenetur, quando converti non vult, quamvis in aliquo casu libere id posset facere, ut dictum est; sicut & religiosus libere perficere potest vota quæ in sæculo tenuit, si non sunt contra religionem suam, quamvis ad ea non teneatur, ut dictum est in præced. dist.

Ad primum ergo dicendum, quod servire non est aliquid incompetens christianæ religionis perfectioni, quæ maxime humilitatem proficitur; sed obligatio matrimonii aliquid derogat perfectioni christianæ, cuius vitæ summum statum continentem possident: & ideo non est simile de utroque. Et præterea unus conjugum non obligatur alteri quasi possessio ejus, sicut domino servus, sed per modum societatis eujusdam, quæ non congrue est fidelis ad infidelem, ut patet I. Corinth. vii. & ideo non est simile de servo, & conjuge.

Ad secundum dicendum, quod uxor non habet jus in corpore viri, nisi quamdiu in vita illa manebat in qua contraxerat, quia etiam mortuo viro uxor soluta est à lege viri, ut patet Rom. vii. & ideo si postquam vir mutat vitam moriens priori vitæ, ab ea discedat, nullum fit ei præjudicium. Transiens autem ad religionem moritur tantum spirituali morte, non autem corporali: & ideo si matrimonium sit consummatum, non potest vir sine consensu uxoris ad religionem transire, potest autem ante copulam carnalem, quando est tantum copula spiritualis. Sed ille qui ad baptismum accedit corporaliter etiam, Christo conspeltur in mortem: & ideo à debito reddendo absolvitur etiam post matrimonium consummatum. Vel dicendum, quod ex culpa sua uxor præjudicium patitur, quæ converti contemnit, ubi non tenetur.

Ad tertium dicendum, quod disparitas cultus facit personam simpliciter illegitimam, non autem conditione servitutis, sed solum quando est ignorata: & ideo non est similis ratio de infideli, & ancilla.

Ad quartum dicendum, quod proles aut provenit ad perfectam ætatem, & tunc poterit libere sequi patrem fidelem, vel matrem infidelem, vel est in minori ætate constituta; & tunc debet dari fidelis, non obstante quod indiget matris obsequio ad educationem.

Ad quintum dicendum, quod adulter per penitentiam non transiit ad aliam vitam, sicut infidelis per baptismum: & ideo non est similis ratio.

ARTICULUS V.

Utrum fidelis discedens ab uxore infideli possit aliam ducere in uxorem.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod fidelis discedens ab uxore infideli non possit aliam

aliam ducere in uxorem. Quia insolubilitas matrimonii est (1) de ratione ipsius, cum repudium uxoris sit contra legem naturæ, ut supra distinct. xxxiii. q. 1. art. 1. dictum est. Sed inter infideles erat verum matrimonium. Ergo nullo modo potest illud matrimonium solvi. Sed manente vinculo matrimonii ad unam, non potest aliquis cum alia contrahere. Ergo fidelis discedens non potest cum alia contrahere.

2. Præterea. Crimen superveniens matrimonium non solvit matrimonium. Sed si mulier velit cohabitare sine contumelia Creatoris, non est solum vinculum matrimonii: quia vir non potest aliam ducere. Ergo peccatum uxoris quæ non vult cohabitare sine contumelia Creatoris, non solvit matrimonium, ut possit libere vir aliam uxorem ducere.

3. Præterea. Vir & uxor sunt pares in vinculo matrimonii. Cum ergo uxori infideli non liceat, vivente viro, alium virum ducere, videtur quod nec fidelis liceat.

4. Præterea. Favorabilis est continentia votum quam matrimonii contractus. Sed viro fidelis uxoris infidelis non licet, ut videatur, votum continentie emittere: quia tunc uxor fraudaretur matrimonio, si postmodum converteretur. Ergo multo minus licet ei matrimonium contrahere cum alia.

5. Præterea. Filius qui remanet in infidelitate, patre converso, amittit jus paternæ hereditatis; & tamen si postea convertitur, redditur ei sua hereditas, etiam si alius in possessionem intravit. Ergo videtur à simili quod si uxor fidelis postea convertatur, sibi sit reddendus vir suus, etiam si cum alia contraxerit; quod non posset esse, si secundum matrimonium esset verum. Ergo non potest contrahi cum alia.

Sed contra. Matrimonium non est ratum sine sacramento baptismi. Sed quod non est ratum, potest dissolvi. Ergo matrimonium in infidelitate contractum potest dissolvi, & ita solum matrimoniali vinculo licet viro alteram ducere uxorem.

Præterea. Vir non debet cohabitare uxori infideli nolenti cohabitare sine contumelia Creatoris. Si ergo non liceret ei aliam ducere, cogereur continentiam servare; quod videtur inconveniens, quia sic ex conversione sua incommodum reportaret.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quando alter conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate remanente, distinguendum est. Quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia Creatoris, (2) vel sine hoc quod ad infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere; sed discedens non potest alteri nubere. Si autem infidelis non velit cohabitare sine contumelia Creatoris in verba blasphemie prorumpens, & nomen Christi audire nolens; tunc si ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis discedens potest alteri per matrimonium copulari.

Ad primum ergo dicendum, quod matrimonium infidelium imperfectum est, ut dictum est, art. 2. hujus quest. Sed matrimonium fidelium est perfectum, & ita est firmius. Semper autem firmius vinculum solvit minus firmum, si sit ei contrarium: & ideo matrimonium quod post in fide Christi contrahitur, solvit matrimonium quod prius in infidelitate contractum erat: unde matrimonium infidelium non est omnino firmum, & ratum; sed ratificatur postmodum per fidem Christi.

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. de tali ratione. (2) Al. deest vel. (3) Vulgata: facit eam mæchari.

Ad secundum dicendum, quod crimen uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris absolvit virum à servitute qua tenebatur uxoris, ut non possit ea vivente aliam ducere; sed nondum solvit matrimonium: quia si blasphemia illa converteretur antequam ille aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus: sed solvitur per matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis non solutus à servitute uxoris per culpam ejus.

Ad tertium dicendum, quod postquam fidelis contraxit, solum est vinculum matrimonii ex utraque parte: quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, sed quandoque claudicat quantum ad effectum. Unde in penam uxoris infidelis ei indicitur quod non possit cum alio contrahere magis quam ex virtute matrimonii præcedentis. Sed si postea convertatur, potest ei concedi dispensative ut alteri nubat, si vir ejus aliam uxorem duxit.

Ad quartum dicendum, quod si post conversionem viri sit aliqua probabilis spes de conversione uxoris, non debet votum continentie vir emittere, nec ad aliud matrimonium transire: quia difficilius converteretur uxor, viro suo sciens se privatam. Si autem non sit spes de conversione, potest ad sacros ordines, vel ad religionem accedere, prius requisita uxore quod convertatur: & tunc si postquam vir sacros ordines accepit, uxor convertatur, non est sibi vir suus reddendus; sed debet sibi imputare in penam tardæ conversionis quod viro suo privatur.

Ad quintum dicendum, quod vinculum paternitatis non solvitur per disparem cultum, sicut vinculum matrimonii: & ideo non est simile de hereditate, & uxore.

ARTICULUS VI.

Utrum alia vitia solvant matrimonium, sicut infidelitas.

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur quod alia vitia solvant matrimonium, sicut & infidelitas. Adulterium enim directius videtur esse contra matrimonium quam infidelitas. Sed infidelitas in aliquo casu solvit matrimonium, ut liceat ad aliud matrimonium transire. Ergo & adulterium idem facit.

2. Præterea. Sicut infidelitas est fornicatio spiritualis, ita etiam quodlibet peccatum. Si ergo propter hoc infidelitas matrimonium solvit, quia est fornicatio spiritualis, quodlibet aliud peccatum matrimonium solvit pari ratione.

3. Præterea. Matth. v. 30. dicitur: Si dextera manus tua scandalizat te, absconde eam, & projice abs te: & dicit Glossa (Hieronymi) quod in manu, & in dextero oculo possunt accipi fratres, uxor, propinqui, & filii. Sed per quodlibet peccatum efficiuntur nobis impedimento. Ergo propter quodlibet peccatum potest dissolvi matrimonium.

4. Præterea. Avaritia idolatria est, ut dicitur Eph. v. Sed propter idolatriam potest mulieri dimitti. Ergo pari ratione propter avaritiam, & ita propter alia peccata, quæ sunt majora quam avaritia.

5. Præterea. Magister hoc expresse dicit in littera.

Sed contra est quod dicitur Matth. v. 31. Qui dimiserit uxorem excepta causa fornicationis, (3) mæchatur.

Præterea. Secundum hoc tota die fierent divortia, cum

cum raro inveniatur matrimonium in quo conjugum alter in peccatum non labatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod fornicatio corporalis, & infidelitas specialem habent contrarietatem ad bona matrimonii, ut ex dictis patere potest: unde specialiter habent vim separandi matrimonia. Sed tamen intelligendum, quod matrimonium dupliciter solvitur. Uno modo quantum ad vinculum; & sic non potest solvi postquam matrimonium est ratificatum, neque per infidelitatem, neque per adulterium; sed si non est ratificatum, solvitur vinculum permanente infidelitate in altero conjugum, si alter conversus ad fidem ad aliud conjugium transeat; non autem solvitur vinculum prae dictum per adulterium; alias infidelis libere posset dare libellum repudii uxori adulterae, & ea dimissa alteram ducere; quod falsum est. Alio modo solvit matrimonium quantum ad actum; & sic solvi potest tam per infidelitatem, quam per fornicationem corporalem, ut supra dist. xxxv. dictum est; sed propter alia peccata non potest solvi matrimonium etiam quantum ad actum, nisi forte ad tempus vir se velit subtrahere a consortio uxoris ad castigationem ejus subtrahendo ei praesentiae suae solatium.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis adulterium magis directe opponatur matrimonio, in quantum est in officium naturae, quam infidelitas; tamen est converso est, secundum quod matrimonium est sacramentum Ecclesiae, ex quo habet perfectam firmitatem, in quantum significat indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiae: & ideo matrimonium quod non est ratum, magis potest solvi quantum ad vinculum per infidelitatem quam per adulterium.

Ad secundum dicendum, quod prima conjunctio animae ad Deum est per fidem; & ideo per eam anima quasi desponsatur Deo, ut patet Osee 11. 20. *Sponsabo te mihi in fide*; unde in Sacra Scriptura specialiter per fornicationem idolatria, & infidelitas de-

DISTINCTIO XXXIX.

signantur; sed alia peccata magis remota significatione dicuntur spirituales fornicationes.

Ad tertium dicendum, quod hoc intelligendum est quando mulier praestat magnam occasionem ruinae viro suo, ut vir probabiliter sibi de periculo timeat: tunc enim vir potest se subtrahere ab ejus conversatione, ut dictum est.

Ad quartum dicendum, quod avaritia dicitur idolatria per quamdam similitudinem servitutis, quia tam avarus quam idolatria potius servit creaturae quam Creatori; non autem per similitudinem infidelitatis, quia corruptio infidelitatis est in intellectu, sed avaritiae in affectu.

Ad quintum dicendum, quod verba Magistri sunt accipienda de sponsalibus: quia propter crimen superveniens sponsalia solvi possunt. Vel si loquamur de matrimonio, intelligendum est de separatione a communi conversatione ad tempus, ut dictum est; vel quando uxor non vult cohabitare nisi sub conditione peccandi, ut cum dicit: *Non ero uxor tua, nisi mihi de latrocinio divitias congreges* &c. tunc enim potius debet eam dimittere quam latrocinia exercere.

EXPOSITIO TEXTUS.

ET alienigenam, idest haereticam. Crimen haeresis impedit matrimonium semper contrahendum; sed non dirimit contractum, nisi sit talis haeretica quae baptismi sacramentum non acceperit, aut non in forma Ecclesiae fuerit baptizata.

Si ambo crediderunt, per agnitionem Dei confirmatur conjugium. Sed contra. Si mulier ante conversionem fuerit fornicata, tenebitur eam vir recipere, etiam si converti voluerit, ut videtur. Et dicendum, quod si mulier conversa repetat virum suum conversum, vir non potest excipere contra eam de fornicatione prius commissa, si ipse occasionem fornicationi dedit; puta, si noluit cohabitare ei volenti cohabitare sine contumelia Creatoris; alias potest excipere: & tamen ratificatur matrimonium, ita quod ulterius non possit solvi quantum ad vinculum, ut viro liceat aliam uxorem ducere, quamvis possit solvi quantum ad actum.

DISTINCTIO XL.

De cognitione carnali, & spiritali, & prius de carnali.

Nunc superest de cognatione aliquid dicere. Est autem cognatio alia carnalis, alia spiritalis. Primum de carnali cognatione, & affinitate inspiciamus. Cognati ergo, vel affines in septimo gradu, vel infra copulari non debent. Unde Gregorius (a): *„Progeniem suam unumquemque usque ad septimam observare deulari non debent.* Unde Gregorius (a): *„Progeniem suam unumquemque usque ad septimam observare deulari non debent.* Cernimus generationem; & quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad conjugalem copulam accedere denegamus: quod si fecerint, separantur. Item Nicolaus Papa: (b) *„De consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci potest.* Item: (c) *„Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant.* His auctoritatibus, aliisque pluribus consanguineorum conjunctiones prohibentur usque ad septimum gradum.

De computatione graduum consanguinitatis.

Quomodo autem gradus consanguinitatis computandi sint, Isidorus ostendit sic: (d) *„Series consanguinitatis sex gradibus dirimitur hoc modo.* Filius, & filia, quod est frater, & soror, sit ipse truncus. Illis seorsum sejunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramunculi, nepos, & neptis primus; pro-

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Non ad Episcopos Galliae, sicut refertur in Decretis causa xxxv. quaest. 3. *Progeniem*, sed ad Felicem Episcopum Messanae Lib. XII. epist. xxxii. (b) Quod subjungitur, ex Nicolao II. ad Ecclesiam Amalphantinae suffraganeos praenotatur ibidem in Decretis. (c) In Concilio Lugdunensi, ut appendix ibidem notat. (d) Ut cap. *Ser. et* causa xxxv. quaest. v. refertur; sed implicite tantum ex Lib. IX. Etymologia-rum, vel originum colligi posse, indicatur ibidem.

DISTINCTIO XL.

„nepos, & pronepotis secundus; abnepos, & abneptis tertius; acnepos, & adneptis quartus; trinepos, & trineptis quintus; trinepotis nepos, & trinepotis neptis sextus. Attende quod sex gradus tantum ponit Isidorus, quia truncum inter gradus non computat. Alii vero qui septem gradus ponunt, truncum inter gradus computant. Varie namque computantur gradus consanguinitatis. Alii enim patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt. Alii primum gradum filios appellant, negantes gradum cognationis inter patrem & filium esse, cum una caro sint pater, & filius. Auctoritates ergo quae consanguinitatis cautelam usque in septimum gradum prohibent, patrem ponunt in primo gradu; illae vero quae usque ad sextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant, atque ita fit ut eadem personae secundum hanc diversitatem inveniatur in sexto, & septimo gradu. Patrem vero in primo gradu ponit qui fratres dicit esse secundum. Hoc modo computat Zacharias Papa causa xxxv. quaest. 5. cap. *„Parentela.* „Parentela gradus taliter computamus. Ego, & frater meus una generatio sumus, primumque gradum efficimus. Rursus filius meus, & fratris mei filius, secunda generatio sunt, & secundum gradum faciunt: ad hunc modum ceterae successiones (1) numeranda sunt. Inter illos vero qui sex computant gradus, & illos qui septem computant gradus, nulla in sensu existit diversitas, quamvis in numero gradum varietas videatur. Ultima (2) enim generatio, si a fratribus sumat initium numerandi, septima invenitur (3).

Quare sex (4) gradus computantur.

Quare vero sex computet Isidorus, ipse aperit dicens, Lib. IX. Etymol. cap. vi. & habetur causa xxxv. quaest. 1v. cap. *„Consanguinitas.* „Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens usque ad ultimum gradum protraxerit, & propinquitas esse deserit, tunc primum lex in matrimonio vinculum eam recipit, & quodammodo incipit revocare fugientem. Ideo autem usque ad sextum generis gradum consanguinitatis constituta est, ut sicut sex aetatibus mundi generatio, & hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur. In his sex gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos nec affinitas inveniri, nec successio potest amplius propagari. Secundum alios septem gradus ideo computantur, ita ut post septem gradus sponsus sponsae jungatur, sicut post hanc vitam, quae septem diebus agit, Ecclesia Christo jungetur. His autem occurrit illud quod Gregorius Augustino Anglorum Episcopo, a quo requisitus fuerat, quot a generatione debeant copulari, rescribit sic. (e) *„Quaedam lex Romana perimit ut sive fratris, vel sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duorum sororum filius & filia miscantur.* Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Unde necesse est ut quarta, vel quinta generatio fidelium licenter sibi jungatur. Sed post multum temporis idem Gregorius a Felice Messanae Siciliae Praesule requisitus, utrum Augustino scripserit, ut Anglorum quarta generatio contracta matrimonium non solverent, inter cetera talem reddidit rationem. (f) *„Quod scripsi Augustino Anglorum Episcopo, ipsi etiam Anglorum geni, quae nuper ad fidem venerat, ne a bono quod ceperat, metuendo austeriora recederet, specialiter, & non generaliter (5) ceteris me cognoscas scripsisse.* Nec ideo hac eis scripsi, ut postquam in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, idest usque ad septimam generationem, jungantur.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de impedimento matrimonii, quo persona redditur illegitima simpliciter respectu alicujus personae propter distantiam ad ipsam, hic incipit determinare de impedimentis quibus persona redditur simpliciter illegitima respectu alterius propter propinquitatem ad eam: & dividitur in partes duas. In prima determinat de impedimento propinquitatis carnalis; in secunda de impedimento propinquitatis spiritalis, xl. dist. ibi: *„Tunc de spiritali cognatione addamus.* Prima in duas. In prima determinat de consanguinitate, in secunda de affinitate, xl. dist. ibi: *„Nunc de affinitate videndum est.* Prima in duas. In prima ostendit secundum quos gradus consanguinitas matrimonium impedit. In secunda objicit in contrarium, & solvit, ibi: *„His autem occurrit illud quod Gregorius Augustino Anglorum Episcopo... rescribit.* Prima in duas. In prima ostendit usque ad quos gradus consanguinitas matrimonium impedit. In secunda ostendit rationem hujus distinctionis, ibi: *„Quare vero sex gradus computet Isidorus, ipse aperit.* Prima in duas. In prima ostendit usque ad quot gradus consanguinitas matrimonium

(1) Al. deest numeranda sunt. (2) Al. vero. (3) Addit Nicolai, ut dicit Alexander II. ubi supra cap. *Ad sedem* versus finem. (4) Al. gradibus. (5) Al. deest ceteris.

Ex EDIT. P. NICOL. (e) Lib. XII. indict. v. 11. epist. xxxi. & refertur in Decretis causa xxxv. quaest. 111. cap. *Quaedam*, ubi plenius, ut & in Gregorii textu, dicitur: *„Quaedam lex terrena in Romana Republica permut.* (f) Ibidem Epist. xxxii.

impediat. In secunda ostendit quomodo sunt gradus praedicti computandi, ibi: *„Quomodo autem gradus consanguinitatis computandi sint, Isidorus ostendit sic.*

QUESTIO I.

HIC quarantur quatuor.
Primo. Quid sit consanguinitas.
Secundo. De distinctione ipsius.
Tertio. Utrum secundum aliquos gradus impedit matrimonium de jure naturali.
Quarto. Utrum gradus matrimonium impediens possint per statutum Ecclesiae determinari.

ARTICULUS I.

Utrum distinctio consanguinitatis quam quidam ponunt, sit competens.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod distinctio consanguinitatis quam quidam ponunt, sit incompetens, scilicet: *„Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descenditum carnali propagatione contractum.* Omnes enim homines ab eodem stipite carnali propagatione descendunt, scilicet ab Adam